

tum alibi nobiles, & Barones de *Vventworth* & originem & nomen una traxerunt: primum *Sheaf-*
field oppidum præterit ferrariis fabris, uti & alia
 oppidula adjacentia, celebre (cum sint in vicini-
 a ferrariæ plures) & castro firmo vetustoque
 munitum, quod recta serie à *Lovetostis*, Dominis
Furnivall, & *Nevillo* Domino de *Furnivall* ad *Talbottos*
 honoratissimos Salopiæ Comites descendit. In-
 de *Danus* alnis, taxis, aliisque arboribus amictus
Rotheram adit, quod Eboracensem Archiepiscopum
 T. Rotheramum virum prudentem suo nomine
 insignitum, optimumque sibi patronum, alumnum
 suum ostentat, qui ibidem Collegium cum schola
 triplici ad pueros scribendi ratione, Grammatica
 & Musica instituendos laudabili proposito fundavit
 & dotavit, quod avara nostrorum temporum
 iniquitas subvertit. Deinde castellum antiquum
Connisborow, Britannice *Caer Conan* rupi affixum
 suspicit, in quod, cum Saxones Aur. Ambro. ad
Maisbelly ita dissipasset, ut illi, quæ cuique
 proximum fuit, in fugam effunderentur, Hengistus
 eorum dux se recepit: paucosque post dies pro
 castris suos in aciem produxit contra insequentes
 Britanos, & prælium sibi, & suis functum
 conferuit: magna enim vis hominum concisa est,
 ipsumque interceptum capite obruncarunt
 Britanni, si fidem potiorem mereatur historia
 Britannica, quam Anglo-Saxonum Annales, qui
 ipsum laboribus confectum placide diem obiisse
 memorant. Postea *Sprotburg* subluit antiquam
 sedem vetustæ equestris familiæ *Guilielmia-*
dum, sive *Fitz-VWilliams*, qui amplissima cognatione
 nobilissimos Angliæ attingunt, & è quibus
 procreati sunt *Guilielmus Fitz-VWilliams* patrum
 memoria Southantoniæ Comes, & *Guil. Fitz-VWilliams*
 nuper Hiberniæ Prorex. Verum decursu temporis
 hoc ad *Copleios*, ut *Elmesley* & aliarum eorum
 in hoc tractu possessiones ad *Savillos* hæreditario
 jure devenerunt.

Dispartito hinc alveo *Danus* vetusto oppido
 allabens nomen impertit suum, quod nos hodie,
Dan-caster, Scoti *Don-castle*, Saxones *Donacaster*,
 Ninnius *Caer Daum*, sed Antoninus DANVM vocat,
 uti & Notitiarum liber, qui prodidit Præfectum
 equitum Crispinianorum ibi sub Duce Britan-
 niarum stationem habuisse. Igne cœlitus demisso,
 circa annum Domini DCCCLIX, ita deflagra-
 vit, suisque ruinis depresso jacuit, ut vix denuo
 respirarit. Magnam arcis aream ostendit, quam
 tunc incendio absumptam credunt, quo loci
 nunc templum elegans S. Georgio sacrum, quod
 unicum est hoc oppido, vidimus. Sub hoc vix
 quinque ad Austrum milliaribus abest *Tickhill*
 (quod omittere non libet) vetustum oppidum
 vetusto castro fatis magno, sed simplici mœnium
 ambitu, & mole edita cui arx rotunda imponitur,
 munitum. Ea olim dignitate fuit, ut prædia
 quæ ad hoc spectarunt *Honor de Tickhill* sint
 nominata. Regnante Henrico Primo hoc tenuit
 Rogerus *Bussy*, postea Comites Aucenses sive de
Ewe in Normannia olim Dominos agnovit
 beneficio R. Stephani. Deinde Rex Richardus
 Primus Ioanni fratri donavit. Bello Baronico
 Robertus de *Veteri ponte* sibi detinuit, quod ut
 rediret Comiti Aucensi, Rex Henricus Tertius
 illi commisit Castrum de *Carleolo*, & Comitatum.

Sed cum Rex Galliarum non restitueret Angliis
 suas in Gallia possessiones, ideo Rex Angliæ
 retinuit, cum ab Edwardo Primo restitutionem
 Ioannes Comes Aucensis, jure Aliciæ proavia
 postularet. Richardus Secundus Rex Angliæ
 tandem Ioanni de *Gaunt* Lancastræ Duci munifice
 est elargitus. Cæterum jam *Danus*, qui sæpius
 hic insurgit, & campis innatat, divisas
 recolligens aquas, cum aliquantisper solidus
 fluxerit, per *Hatfield Chace*, ubi cervorum
 admodum copiosa est venatio, iterum
 distractus, hinc *Idelum* Nottinghamiensium
 flumen, illinc *Arum* petit, ut una cum
 illis *Humbrum* æstuarium subeat. Quo in
 loco circumfunduntur his fluminibus
Diche-March, & *Marshland* palustres
 regiunculæ, seu potius insulæ amnicæ,
 quæ xv plus minus mille passuum in
 circuitu colligunt, luxuriante viriditate
 lætissimæ, pascendis pecoribus admodum
 aptæ, & undique viculis quasi redimitæ.
 Terram tamen pendere, & incrementibus
 aquis attolli incolarum nonnulli existimant,
 quod de *Antro* Galliarum insula Pomponius
 Mela scripsit. Inter rivulos vero qui huc
 aquas convehunt, non omittendus de
Vvent, qui è stagno profluit juxta *Nosthill*,
 ubi olim fuit monasterium Oswaldo Regi
 & Sancto sacrum, quod A. Confessor Regis
 Henrici Primi restauravit; verum hodie
 habitatio est claræ, & equestris familiæ
Gargraviorum.

Calderus in ipso Lancastræ confinio
 scatenens ignobilibus prætextitur oppidis,
 inter quæ ad *Gretland*, in cacumine montis,
 in quem nullus nisi una parte accessus,
 effossa fuit hæc ara voti va Deo civitatis
 Brigantum Topico, ut videtur, posita.
 Quæ nunc cernitur *Bradleia* in ædibus
 clarissimi Equitis Aurati Ioannis *Savil*
 Baronis Scaccarii.

D V I C I B R I G .
 E T N V M . G G .
 T . A V R . A V R E L I A N
 V S * D D P R O S E
 E T S V I S . S . M . A . G . S .

In altero latere.

A N T O N I N O
 I I I . E T . G E T . C O S S .

Id est, DVI Civitatis Brigantum & numinibus
 Augustorum Titus Aurelius Aurelianus
 dedicavit pro se & suis. Extremæ notæ
 mihi prorsus ignotæ. Antonino
 tertium, & Geta Consulibus.

An vero DVI illud sit Deus, quem *Diw*
 nunc DVI vocant Britanni, an peculiaris
 Brigantum Genius Topicus, disquirant
 doctiores. *Vti anima nascentibus, ita
 populis fatales genii, sic scribit Symmachus,
 dividuntur. Variosque custodes cunctis
 regionibus mens divina distribuit.* Hæc enim
 erat prisorum Theologica persuasio. Ut enim
 exteros taceam quorum historia ejusmodi
 Diis Topicis est plenissima: habuerunt
 Britanni in ea parte quæ Essexia nunc
 dicitur *ANDATEM, in Cumberlandia
 BELLO-TVCADRVM, in Northumbria
 VITERINVM, & MOGONTVM, ut ex
 inscriptionibus quas suis locis dabo,
 clarius constabit. Recteque observavit
 Servius Honoratus Topicos Deos ad
 alias regiones nunquam transire. Sed ad
Calder flumen qui cum jam advenis
 aquis est plenior ponte

Marsh-
land.

Nosthill.
S. Of-
walds.

Calder fl.

Anno
Christi
209.

Genii lo-
corum.
Lib. 1.
Ep. 40.

*Dio.

Plac. anno
tertio
Ioan. R.
Pl. M. 4.
H. 3.